MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (TEIL IV)

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Nullus eum umquam cepit, numquam hominem lesit. Hii autem qui ex ore eius evaserunt universi baptizati sunt. Nunciata sunt omnia hec numeriano imperatori, qui furore nimio accensus iussit ut ambo, id est Chrisantus et Daria si non consensissent sacrificiis variis tormentorum cruciatibus punirentur. Igitur cum cogeret eos celerinus ad sacrificandum et diversa diceret et audiret, iussit sanctum Chrisantum eculeo ingenti suspendi. Sed cumque imponeretur eculeo Chrisantus, ligna omnia comminuta sunt, vincula vero dirupta sunt, lampades que erant lateribus eius extincte sunt. Qui cum mitterent manus ad sanctam Dariam stupebant nervi eorum et pre doloribus gemitum cordis reddebant. Videns hec itaque celerinus prefectus vehementer expavit, et cursu rapidissimo ad imperatorem properans, cuncta hec que gesta fuerant enarravit. Tunc numerianus imperator non virtutibus divinis hec, sed maleficiis imputans, eos duci iussit via salaria, atque in arenario deponi simul Chrisantum et Dariam vivos terra et lapidibus obrui. Tunc beatissimus Chrisantus cum beata virgine Daria deponuntur in foveam psalmis et orationibus insistentes. Facta est in passione societas sanguinis sicut fuerant etiam mente coniuges, et quasi in uno lectulo, ita in una fovea atque in una voluntate perdurantes. Talis fuit passio que magis sepulturam dei famulis intulit. Accepto vero deo hostiam viventem cuius gratia hoc factum est, ut qui simul fuerant in virginitate durantes, simul pertingerent ad coronam. Igitur cum multa beneficia deus venientibus ad eorum sepulchra prestaret, evenit ut die natalis eorum infinita populi multitudo concurreret, viri simul ac mulieres parvuli et infantes et innupte puelle et iuvenes. Hoc cum fuisset numeriani auribus intimatum, iussit ut in introitu quo introierant in cripta paries levaretur. Quod cum fuisset impletum desuper ad sabulonem super eos montem deiecit. Omnes igitur parvuli dum sacramenta perciperent et gloriam martyrum celebrarent, ipsi quoque ad quos erat diodorus presbyter et diaconus marinianus et plurimi clericorum; populi autem multitudo non numerum nec nomina collecta sunt, quia preciosum esse et superfluum iudicavimus. Hec omnia sicut gesta sunt scripta scripsimus. Reverinus et armenius fratres a sancto stephano in sede apostolica facti presbyteri, direximus ad omnes ecclesias per orientem et occidentem ut sciat mundus quia martyres suos Chrisantum et Dariam cum multis filiis in triumpho martyrii et gloria perpetue corone suscepit. Amen. Explicit passio.

Incipit prologus in vitam sancti Castriciani episcopi.

SAEVIENTE foris et intus in abdito atque in propatulo diri turbinis immoderata pluvie que debachantis domiciani furiis magis ac magis excitata prorumpat, nemo in tanta credentium caterva inveniri poterat, qui intra periculosa portus equorei statione sue navis anchoram auderet deponere, et pastoralis cure oneri metuendo collum vellet sponte submittere. Sed vero fama volitante ipsi quoque finis et vite et imperii ad aures pervenit multitudinis. Confestim recreantur animi longa mestitudine hebetati, presertim quia Nerva ei in imperium substituto, cuncta que ille perversis donarat titulis, queque iniquus abstulerat, que lupi more male discerpserat, deterius profligarat, ex senatus consulto, sed magis ut opinor superno iudicio detrahuntur, restituuntur, advocantur, atque ad proprias qui exiliati fuerant sedes revertuntur. Quo in tempore plures mediolanensium incolarum qui delitescendo forte sub preruptas montium cavernas, vitam et relicta patria pro amore nominis domini ihesu exulando persecutorum manus evadere potuerunt, multo magis domo parentibus ac geniali stilo quam christiani soli nominis prerogativa carere gestientes agnita huiuscemodi fame optata liberalitate alacres ad sua repedarunt. Inter quos vir quoque sanctissimus et omni laude dignissimus Castricianus, qui solus tunc temporis de omni illa primitiarum benedictione quam primus urbi christiane fidei cultoribus in rore celi et pinguedine dicantis dextera ineffabili pietate attribuit, suorum simillimus omniumque virtutum exercitatissimus, non sine divino reservabatur preiudicio. Cum aliquibus ex clero et populo reclusus est avicinis latibulis quibus aliquamdiu sese cum reliquiis occulere tuti ratus, ad maximum christi fidelium tutamen furentis declinavit rabiem tyranni.

Denique prefatum virum digne memorie sanctus Benignus ad cuius curam ordo pendebat ecclesie, dum magister adviveret bone satis indolis, atque inter ceteros qui prius in principio monitis assensum dederant, iuvenem sagacis ingenii intendens doctrineque sane pronum docibilem clericorum cetui vigilanter ascivit. Deinde theosebie in brevi studiis ad prime imbutus, licet neophitus leviticis mancipatus officiis, vero in omnium morum honestate ac inconvulse fidei probitate preclarus, gradatimque ad culmen probati pertingens discipuli, sacerdotali non post multum stola indui, ac sacrosancte benedictionis eulogio promeruit cumulari. Hic igitur velut diversorum expertum certaminum.